



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

De modo cognitionis propheticæ. Quæstio 173.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

Dinde considerandum est de modo prophetice cognitionis.

- ¶ Et circa hoc quærentur quatuor.
- ¶ Primo, utrum propheta videant ipsam Dei essentiam?
- ¶ Secundo, utrum reuelatio prophetica fiat per influentiam aliquarum specierum, vel per locum influentiam luminis?
- ¶ Tertio, utrum prophetica reuelatio semper fiat alienatione à sensibus?
- ¶ Quarto, utrum prophetia semper fit cum cognitione eorum quæ prophetantur?

ARTIC. I.

Utrum propheta videant ipsam Dei essentiam?

Ad primum sic proceditur. Videur, quod propheta ipsam Dei essentiam videant: quia super Iud. I. 38. Dispone domui tuæ, &c. Dicitur glossa prophetæ in ipso libro præscientiæ Dei, in quibus omnia scripta sunt, legere possunt. Sed præscientia est ipsa eius essentia. Ergo prophetæ vident ipsam Dei essentiam.

824
sup. q. 171
a. 2. cont.
¶ art. 4.
cor. et ad
d. et ver.
q. 12 a. 6
¶ Ps. 50
co 9.
*habetur
in gl. ibi.
ordin. ex
Greg.
¶ li. 9. c. 7.
in prin.
no. 3.

¶ 2 Præterea, ¶ August. dicit in 9. de Trinitate quod in illa æterna veritate, ex qua temporalia sunt omnia, formam secundum quam sumus, & secundum quam operamur, visu mentis aspiciuntur. Ergo prophetæ inter omnes homines altissimam habent uinorum cognitionem. Ergo ipsi maxime diuinitatem essentiam vident.

¶ 3 Præterea, Futura contingentia prædicuntur à prophetis secundum immobilem veritatem. Sic autem non sunt, nisi in ipso Deo. Ergo prophetæ ipsum Deum vident.

SE D contra est, quod Visio diuinæ essentiae euacuatur in patria. Prophetia autem euacuatur, ut habetur 1. ad Corinthios decimo tertio. Ergo pro-

pheticā non fit per visionem diuinā essentia.

RESPONDEO dicendum, quod prophetia importat cognitionem diuinā, ut procul existentem. Vnde & de prophetis dicitur Hebr. 11. quod erant à longe aspicientes. Illi autem qui sunt in patria, in statu beatitudinis existentes, non vident ut à remotis, sed magis quasi ex propinquo: secundum illud Mal. 1. 9. Habitabunt recti cum vultu tuo. Vnde manifestum est, quod cognitio prophetica alia est à cognitione perfecta, quæ erit in patria. Vnde & distinguitur ab ea sicut imperfectum à perfecto, & ea adueniente euacuatur, ut patet per Apostolum 1. ad Cor. 13. Fuerunt autem quidam, qui cognitionem propheticā à cognitione beatorum distinguere volentes, dixerunt quod propheta vident ipsam diuinā essentiam, quam vocant speculum Trinitatis: non tamen secundum quod est obiectum beatorum, sed secundum quod sunt in ea rationes futurorum euentuum. Quod quidem est omnino impossibile. Deus enim est obiectum beatitudinis secundum ipsam sui essentiam: secundum illud quod * Aug. dicit in 5. Confess. Beatus est qui se scit, etiam si illa, id est, creaturas, nesciat. Non est autem possibile quod aliquis videat rationes creaturarum in ipsa diuina essentia; ita quod eam non videat: tum quia ipsa diuina essentia est ratio omnium eorum quæ sunt. Ratio autem idealis non addit supra diuinā essentiam, nisi respectum ad creaturam. Tum etiam quia prius est cognoscere aliquid in se, quod est cognoscere Deum, ut est obiectum beatitudinis, quam cognoscere illud per comparisonem ad alterum, quod est cognoscere Deum secundum rationes rerum in ipso existentes. Et ideo non potest esse quod propheta videant Deum secundum rationes creaturarum, & non prout est obiectum beatitudinis. Et ideo dicendum est, quod visio prophetica non est visio ipsius diuinæ essentia; neque in ipsa diuina essentia videt ea quæ videt, sed in quibusdā similitudinibus mandā illustrationem diuini luminis. Vnde * Diony. dicit

lib. 5. c. 4.
cir. prim.
to. 1.

c. 4. c. 4.
hier. in
med.

dicit in 4. cap. cœlest. Hierar. de visionibus propheticis loquens, quod sapiens theologus visionem illam dici esse diuinam, quæ sit per similitudinem rerum forma corporali carentium ex reductione videntium in diuinam. Et huiusmodi similitudines diuino lumine illustratæ magis habent rationem speculi, quam Dei essentia. Nam in speculo resultant species ab alijs rebus, quod non potest dici de Deo. Sed huiusmodi illustratio mentis propheticæ potest dici speculum, in quantum resultat ibi similitudo veritatis diuinæ præscientiæ. Et propter hoc dicitur speculum æternitatis, quod repræsentans Dei præscientiam, qui in sua æternitate omnia præsentiaiter videt, vt dictum est.

Ad primū ergo dicendum, quod propheta dicitur inspicere in libro præscientiæ Dei, in quantum ex ipsa præscientia Dei resultat veritas in mente prophete.

Ad secundum dicendum, quod in prima veritate dicitur homo videre propriam formam qua existit, quantum primæ veritatis similitudo resulget in mente humana, ex qua anima habet, quod scriptura cognoscat.

Ad tertium dicendum, quod ex hoc ipso quod Deo futura contingentia sunt secundum immutabilem cognitionem, potest imprimere menti prophetalem cognitionem, absque eo quod propheta per essentiam videant.

ARTIC. II.

825 *Vtrum in prophetica reuelatione imprimantur in mentis menti propheta noua rerum species, vel solum nouum lumen?*

3. cont. c. 154 co. 1
Et ver 9.
1. ar. 7.
* in prin. commen. tary ad 1 c. Amos, 80. 6.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod in prophetica reuelatione non imprimantur in mentis menti prophete nouæ rerum species, sed solum nouum lumen, quia sicut dicit * glossa Hierony. Amos 1. Prophete videntur similitudinibus rerum in quibus conuersati sunt. Sed si visio prophetica fieret per aliquas species de nouo impressas, nihil operaretur in præcedens

cedens conuersatio. Ergo non imprimuntur aliqua species de nouo in animam prophetæ, sed solum propheticum lumen.

¶ 2 Præterea, Sicut * August dicit 12. super Gen. *l. 12. c. 9. ad litteram, to 3.* visio imaginaria non facit prophetiam, sed solum visio intellectualis. Vnde etiam Dan. 10. dicitur, quod intelligentia opus est in visione. Sed visio intellectualis, sicut in eodem lib. dicitur, non fit per aliquas similitudines, sed per ipsam rerum veritatem. Ergo videtur quod prophetica reuelatio non fiat per impressionem aliquarum specierum.

¶ 3 Præterea, Per donum prophetiæ Spiritus sanctus exhibet homini id quod est supra facultatem naturæ humanæ. Sed formare quascumque rerum species potest homo ex facultate naturali. Ergo videtur quod in prophetica reuelatione non infundatur aliqua rerum species, sed solum intelligibile lumen.

SED contra est, quod dicitur Osee 12. Ego visiones multiplicavi eis, & in manibus prophetarum, assimilatus sum. Sed multiplicatio visionum non fit secundum lumen intelligibile, quod est commune, in omni prophetica visione, sed solum secundum diuersitatem specierum, secundum quas etiam est assimilatio. Ergo videtur quod in prophetica reuelatione imprimantur nouæ species rerum, & non solum intelligibile lumen.

RESPONDEO dicendum, quod sicut * Augustinus dicit 12 super Genes. *l. 12. c. 9. ad litteram, cir. prin. to. 3.* cognitio prophetica maxime ad mentem pertinet. Circa cognitionem autem humanæ mentis duo oportet considerare, scilicet acceptionem siue representationem rerum, & iudicium de rebus representatis. Quando autem representantur menti humanæ res aliqua secundum aliquas species & secundum naturæ ordinem: primo, oportet quod species represententur sensui: secundum imaginationem: tertio, intellectui possibili, qui innaturatur à speciebus phantasmatum secundum illustrationem intellectus agentis. In imaginatione autem non solum

solum sunt formæ rerum sensibilium, secundum quod accipiuntur à sensu: sed transmutantur diuersimodè, vel propter aliquam transmutationem corporalem, sicut accidit in dormientibus & furiosis: vel etiam secundum imperium rationis disponuntur phantasmatà in ordine ad id quod est intelligendum. Sicut enim ex diuersa ordinatione earundem litterarum occurrunt diuersi intellectus: ita etiam secundum diuersam dispositionem phantasmatum resultant in intellectu diuersæ species intelligibiles. Iudicium autem humanæ mentis fit secundum vim intellectualem huius. Per donum autem prophetiæ confertur aliquid huius menti supra id quod pertinet ad naturalem intelligentiam, quantum ad utrumque, scilicet & quantum ad iudicium, per influxum luminis intellectualis; & quantum ad acceptionem seu representationem rerum, quæ fit per aliquas species. Et quantum ad hoc secundum potest assimilari doctrinæ humanæ reuelationi prophetiæ, non autem quantum ad primum. Homo enim suo discipulo representat aliquas res per signa operationum, non autem potest interius illuminare, sicut facit Deus. Horum autem duorum principalis est primum in prophetia, quia iudicium est completum cognitionis. Et ideo si cui fiat diuinitus representatio aliquarum rerum per similitudines imaginabiles Pharaoni & Nabuchodonosor, aut etiam per similitudines corporales, ut Balthasar: non est talis iudex propheta, nisi illuminetur eius mens ad iudicandum. Sed talis apparitio est quiddam imperfectum in genere prophetiæ. Unde à quibusdam vocatur in prophetia, sicut & diuinatio somniorum. Erat autem propheta, si solummodo intellectus eius illuminatur ad diiudicandum, etiam ea quæ ab alijs imaginabiles sunt: ut patet de Ioseph, qui exposuit somnia Pharaonis. Sed sicut * Aug. dicit 12. super Genes. ad litteram, maximè propheta est, & qui utroque præcedit, ut scilicet videat in spiritu corporalium rerum significatiuas similitudines, & eas viuacitate mentis intel-

1 (2. c. 9.
in med.
69. 3.

intelligat. Repræsentantur autem diuinitus menti propheta, quandoque quidem mediante sensu, exte-
 riorum quædam formæ sensibiles: sicut Daniel vidit scri-
 pturam parietis, vt legitur. Dan. 5. quandoque autem
 per formæ imaginarias, siue omnino diuinitus im-
 pressas, non per sensum acceptas, (puta si adicui cœ-
 co nato inprimerentur in imaginatione colorum simi-
 litudines) vel etiam diuinitus ordinatas ex his quæ à
 sensibus sunt acceptæ: sicut Hieremias vidit ollam
 succensam a facie aquilonis, vt habetur Hierem. 1. si-
 ue etiam imprimendo species intelligibiles ipsi men-
 ti: sicut patet de his qui accipiunt scientiam vel sa-
 pientiam infusam, sicut Salomon & Apostoli. Lumen
 autem intelligibile quandoque quidem imprimitur
 menti humanæ diuinitus, ad diiudicandum ea quæ
 alijs visa sunt: sicut * dictum est de Ioseph, & si-
 cut patet de Apostolis, quibus dominus aperuit sen-
 sum, vt intelligerent scripturas, vt dicitur Luc. 24.
 Et ad hoc pertinet interpretatio sermonum. Siue
 etiam ad diiudicandum secundum diuinam verita-
 tem, ea quæ cursu naturali homo apprehendit. Si-
 ue etiam ad diiudicandum veraciter & efficaciter
 ea quæ agenda sunt, secundum illud Isaiæ 63. Spi-
 ritus domini ductor eius fuit. Sic igitur patet
 quod prophetica reuelatio quandoque quidem fit
 per solam luminis influentiam: quandoque autem
 per species de nouo impressas vel aliter ordi-
 natas.

in isto 4.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut * dictum
 est, quandoque in prophetica reuelatione diuinitus
 ordinantur species imaginariæ præacceptæ à sensu se-
 cundum congruentiam ad veritatem reuelandam. Et
 tunc conuersatio præcedens aliquid operatur ad ip-
 sas similitudines, non autem quando totaliter ab ex-
 terno imprimuntur.

in co. 67.

Ad secundum dicendum, quod visio intellectualis
 fit secundum aliquas similitudines corporales &
 diuinales: fit tamen secundum aliquam similitu-
 dinem

Ad tertium dicendum, quod, quæſcumque formas imaginatas naturali virtute homo pot eſt formare abſolute huiusmodi formas conſiderando: non tamè ut ſint ordinatæ ad repræſentandas intelligibiles natures, quæ hominis intellectum excedunt, ſed alio neceſſarium eſt auxilium ſupernaturalis luminis.

ARTIC. III.

Virum viſio prophetica ſemper fiat cum abſtractione à ſenſibus?

826

ver. q. 12
art. 9.

in gl. or.
in præſa-
tione ſu-
per prolo-
gum Hie-
ronym.

Ad tertium ſic proceditur. Videtur, quod viſio prophetica ſemper fiat cum abſtractione à ſenſibus. Dicitur enim Num. 12. Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnia loquar ad illum. Sed ſicut * Gloſſ. dicit in principio Pfalterij, viſio quæ eſt per ſomnia & viſiones per ea quæ videntur dici vel fieri: cum autem videntur dici, vel fieri, quæ non dicuntur, vel fieri alienatio à ſenſibus. Ergo prophetia ſemper fit alienatione à ſenſibus.

¶ 2 Præterea, Quando vna virtus multum augetur in operatione ſua, a ſua potentia abſtrahitur à ſuo actu: ſicut illi qui vehementer intendunt ad aliquid audiendum, non percipiunt viſu ea quæ coram eis ſunt. Sed in viſione prophetica eſt maxime intellectus eleuatus, & intenditur in ſuo actu. Ergo videtur quod ſemper fiat cum abſtractione à ſenſibus.

¶ 3 Præterea, Impoſſibile eſt idem ſimul ad diuerſas partes conuerſi. Sed in viſione prophetica mens conuertitur ad accipiendum à ſuperiori. Ergo non poteſt ſimul conuerſi ad ſenſibilia. Neceſſarium ergo

ergo videtur quod reuelatio prophetica semper fiat cum abstractione à sensibus.

SED contra est, quod dicitur prima ad Corinth. decimo quarto, Spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt. Sed hoc esse non posset, si propheta non esset sui compos à sensibus alienatus existens. Ergo videtur quod prophetica visio non fiat cum alienatione à sensibus.

RESPONDEO dicendum, quod sicut dicitur *art. 1.º* est, prophetica reuelatio fit secundum quatuor, scilicet secundum influxum intelligibilis luminis, secundum immisionem intelligibilium specierum, secundum impressionem vel ordinationem imaginabilium formarum, & secundum expressionem formarum sensibilibus. Manifestum est autem quod non fit abstractio à sensibus, quando aliquid representatur menti proprie per species sensibiles: siue ad hoc specialiter formata diuinitus, sicut rubus ostensus Moyse, & scriptura ostensa Danieli: siue etiam per alias causas productas: ita tamen quod secundum diuinam providentiam ad aliquid propheticè significandum, ordinetur: sicut per arcam Noe significabatur Ecclesia. Similiter etiam non est necesse, ut fiat alienatio à sensibus exterioribus, per hoc quod mens prophetæ illustratur intelligibili lumine, aut formatur intelligibilibus speciebus: quia in nobis perfectum iudicium intellectus habetur per conuersionem ad sensibilia, quæ sunt prima nostræ cognitionis principia, ut in primo habitum est. Sed quando fit reuelatio prophetica secundum formas imaginarias, necesse est fieri abstractionem à sensibus: ut talis apparitio phantasmatum non referatur ad ea quæ exterius sentiuntur: sed abstractio à sensibus quandoque fit perfecte, ut scilicet nihil homo sensibus percipiat: quandoque uero imperfecte, ut scilicet aliquid percipiat sensibus, non tamen plene discernat ea quæ exterius percipiuntur ab his, quæ imaginabiliter uidentur. Vnde *ante me.* Augustinus dicit *12. super Genesis ad litteram*, Sic uidentur

9.84.2.7

2.12.6.2. ante me. 10. 3.

dentur quæ in spiritu sunt imagines corporum, quemadmodum corpora ipsa, per corpus: ita simul cernatur & homo aliquis præsens, & absens alius, spiritu, tanquam oculis. Talis tamen alienatio à sensibus, non fit in prophetis cum aliqua inordinatione naturæ, sicut in arreptitijs vel in furiosis: sed per aliquam causam ordinatam veteralem, sicut per somnium; vel spirituales, sicut per contemplationis vehementiam: sicut de Petro legitur Act. 10. quòd cum oraret in cenaculo, factus est in excessu mentis: vel virtute divina sapiente, secundum illud Ezech. 1. Facta est super eum manus Domini.

Ad primum ergo dicendum, quòd auctoritas dicitur de prophetis, quibus imprimebantur vel inscribuntur imaginariæ formæ: vel in dormiendo, quod significatur per somnium: vel in vigilando, quod significatur per visionem.

Ad secundum dicendum, quòd quando mens intentatur in suo actu circa absentia quæ sunt à sensibus mota, tunc propter vehementiam intensiois sequitur alienatio à sensibus. Sed quando mens intenditur in suo actu circa dispositionem, vel iudiciũ sensibilibus non oportet quòd à sensibus abstrahatur.

Ad tertium dicendum, quòd motus mentis prophetica non est secundum virtutem propriam secundum virtutem superioris influxus. Et ideo quando ex superiori influxu mens propheta inclinetur ad iudicandum vel disponendum aliquid circa sensibilia, non fit alienatio à sensibus, sed solum quando eleuatur mens ad contemplandum aliqua maiora.

Ad quartum dicendum, quòd spiritus prophetarum dicuntur esse subiecti prophetis, quantum ad prophetiam enuntiationem, de qua ibi Apostolus loquitur: quia scilicet ex proprio sensu loquuntur ea, quæ viderunt, non mente perturbata sicut arreptitijs, ut dixerunt Priscilla & Montanus: sed in ipsa prophetica co-

velatione potius ipsi subiiciuntur spiritui prophetiæ, id est, dono prophetico.

ARTIC. IV.

Utrum propheta semper cognoscat ea quæ prophetauit?

827

Heb. 11.
1e 7 co 7
* c. 9 in
prim. 2. 3.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod propheta semper cognoscat ea quæ prophetant: quia ut Aug. dicit 12. super Gen. ad litteram, Quibus signa per aliquas rerum corporalium similitudines demonstrabantur in spiritu, nisi accessisset mentis officium, ut etiam intelligerentur, nondum erat prophetia. Sed ea quæ intelliguntur non possunt esse incognita. Ergo propheta non ignorat ea quæ prophetat.

¶ 2. Præterea, Maius est lumen prophetiæ, quam lumen naturalis rationis. Sed quicumque lumine naturali habet scientiam, non ignorat ea quæ scit. Ergo quicumque lumine prophetico aliqua enuntiat, non potest ea ignorare.

¶ 3. Præterea, Prophetia ordinatur ad hominum illuminationem. Vnde dicitur 2. Pet. 1. Habemus propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco. Sed nihil potest alios illuminare, nisi in se sit illuminatum. Ergo videtur quod propheta prius illuminetur ad cognoscendum ea quæ alijs enuntiat.

SED contra est, quod dicitur 10. 11. Hoc autem à semetipso Caiphas non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetauit, quod Iesus moriturus erat pro gente, &c. Sed hoc Caiphas non cognouit. Ergo non omnis qui prophetat cognoscit ea, quæ prophetat.

RESPONDEO dicendum, quod in reuelatione prophetica mouetur mens prophete à spiritu sancto, sicut instrumentum deficiens, respectu principalis motoris. Mouetur autem mens prophete non solum ad aliquid apprehendendum, sed etiam ad aliquid loquendum, vel ad aliquid faciendum & quandoque quædam ad omnia tria simul. Quandoque autem ad

sec. sec. Vol. iij.

Li duo

duo horum, quandoque verò ad vnum tantum. Et quodlibet horum contingit esse cum aliquo cognitionis defectu. Nam cum mens prophetæ mouetur ad aliquid æstimandum, vel apprehendendum: quandoque quidem inducitur ad hoc, quod solum apprehendat rem illam: quandoque autem vltcrius ab hoc, quod cognoscat hæc sibi esse diuinitus reuelat. Similiter etiam quandoque mouetur mens prophetæ ad aliquid loquendum, ita quod intelligat quod per hæc verba Spiritus sanctus intendit: sicut David qui dicebat 2. Reg. 23. Spiritus Domini locutus est per me. Quandoque autem ille cuius mens mouetur ad aliqua verba exprimendâ, non intelligit quod Spiritus sanctus per hæc verba intendat: sicut patet de Caipha, Ioan. 11. Similiter etiam cum Spiritus sanctus mouet mentem alicuius ad aliquid faciendum, quandoque quidem intelligit quid hoc significet: sicut patet de Hieremia, qui abscondit iubar in Euphratem, vt habetur Hierem. 13. Quandoque verò non intelligit: sicut milites diuidentes ventura Christi non intelligebant quid significarent. Cuius ergo aliquis cognoscit se moueri à Spiritu sancto ad aliquid æstimandum, vel significandum verbo, et non ad aliquid faciendum: hoc proprie ad prophetiam pertinet. Cuius mens mouetur, sed non cognoscit, non est proprie prophetia, sed quidam instinctus propheticus: cuius mens tamen, quod quia mens prophetæ est instinctum deficientem (vt dictum est) etiam veri prophetæ non omnia cognoscunt, quæ in eorum visis, et factis, aut etiam factis Spiritus sanctus intendit.

In co. ar.

Et per hoc patet responsio Ad obiecta. Nam prophetæ rationes loquuntur de veris prophetis, quæ mens diuinitus illustratur perfecte.

QVÆST. CLXXIV.

De diuisione prophetiæ, in sex articulos diuisa.

Deinde considerandum est de diuisione prophetiæ.